



## Fortunante Christo !

**G**ravissimum D. Pauli est monitum , quando 2. Tim. 2,  
9. scribit : *Memento , Iesum Christum resurrexisse a  
mortuis , ex semine David secundum Evangelium meum.*

*Quicunq; enim , teste Augustino , Iesum resurrexisse a Serm. 43.  
mortuis recordatur & confitetur , nec de suâ quondam futurâ dubi- T.9.  
tare poterit resurrectione . Est enim in Christo Homine uniuscujus-  
que nostrûm caro , sanguis & portio . Ubi E. portio mea regnat , ibi  
regnare me credo ; Ubi dominatur sanguis meus , dominari quoque  
me sentio ; Ubi glorificatur caro mea , & me gloriosum esse cognosco .  
Vniversam quippè fidem nostram , & spem , & salutem in solâ  
Christi Resurrectione fundari , idem prolixè testatur Aposto-  
lus 1. Cor. 15. quando inter cætera tales infert sequelas : *Quod  
si Christus non resurrexit , (1) inanis est prædicatio nostra : v. 14. (2)  
vana est fides vestra : v. 17. (3) adhuc estis in peccatis vestris : ibid.  
(4) Et qui obdormierunt in Christo , perierunt &c.* Saluberrimū  
ergò istud Resurrectionis Dominicæ mysterium animo atten-  
tiore considerare , uti quovis tempore decet , ita id præsenti ,  
sub anniversariâ scil. ejusdem revolutione , agere , eò minus  
quisquam vitio nobis vertet . Vnde hâc vice de gloriosa illâ  
*Saluatoris Resurrectione tyrocinii loco dissertatiunculam quâ-  
dam eo modo instituere placuit , ut ejus fundamentum seu veri-  
tatem immotam paucis perstrictam thesibus defendamus . Adsit  
nobis Heros ille invictissimus , jamjam a morte redux , & cœpto be-  
nedicat ex alto !**

§. 1. Pro stabiliendâ itaq; Resurrectionis Christi certitudine ,  
primo loco sese offerunt dicta Instrumenti Vet. evidentissima ,  
inter quæ agmen dicit Protevangelium illud , Gen. 3, 15.  
Et inimicitias ponam inter te & mulierem , & inter semen  
tuum & semen ejus : Ipsum (sc. semen ) conteret tibi caput , & in  
insidiaberis calcaneo illius . Vbi notanda est iniquissima illa , &  
a blasphemia non aliena sententia & assertio Pontificiorum ,

I. Argum.  
tum cx  
Mose pe-  
titum :